PQ
4684
C463Z8

LIBRARY OF CONGRESS
1800

Roberus, Michael

# EMMANUELIS CAMPOLONGI

VITA

A MICHAELE ROBERTO.

NUNC PRIMUM CONCINNATA

*UT ILLIUS PROTEO PRAEFIXA*

ACCEDERET.

---

καλὸς γὰρ ἀστοις στέφανος
ανδρ' ἐς θλοῦ αφελουντας εὐκλείας τυχειν

EURIP. IN HERC.

---

NEAPOLI

Apud DOMINICUM SANGIACOMO.

MDCCCXIX.

PQ4684
.C463Z8

081469
3 D 43

# EMMANUELIS CAMPOLONGI

## VITA

Emmanuel Campolongus III. Cal. Januar. MDCCXXXIII. Neapoli natus est, qua tempestate haec Civitas mira quadam illustrium ingeniorum copia abundabat. Dominicus pater ejus, cui uxor Barbara Garrio dives opibus, et genere perhonesta, praeclarus fuit sui temporis J. C., et multis litteris ornabatur, tantaque enituit dicendi copia, ut in causis orandis inter primos numeraretur. Hic cum nosceret, puerum facili, promtoque ingenio esse ad discendum, nullam interjecit moram, quominus illum ingenuis artibus imbuendum curaret, ut, si quando paternis insisteret vestigiis, novus quidam splendor, novaque gloria familiae accederet. Nec a veritate alienum id cuiquam videri debet; nam eruditus ut erat, inter optimarum artium studia, et Jurisprudentiam, quoddam cognationis vinculum intercedere jure arbitrabatur. Ineunte igitur aetate, puer hic grammaticas praeceptiones tanta animi hausit contentione, ut praeceptor ejus, genibus impositum, et sic pensa recitantem, aliis ostentaret, ut ab eo sibi ipsi bene recteque discendi normam arriperent.

Postquam robustior est factus, summa in eo eluxit indoles, incredibilis sciendi aviditas, eique sollicita cura magistri, quo magnam rei litterariae exornandae, atque in melius provehendae spem faceret, incitamentum fuit, ac via. Qui mentis habitus uberrimos fructus ferre consuevit, modo ut juvenes, frequenti studio ac meditatione, vires ingenii sui exercere, et acuere non desinant; quod reapse mirum in modum praestitit Campolongus. Quare spem patris minime fefellit, qui in eo plurimum laborabat, ut filius bonis litteris instrueretur, cui natura tam felix, et laetum ingenium contulisse videbatur.

Annum fere decimum aetatis agebat Campolongus, cum gravi, ac quasi repentino morbo, absumtus est pater ejus Dominicus, qui, eo quod de inopina morte nihil palam factum esset, paullo post obitum, in Dicasterium Neapolitanum stlitibus judicandis fuerat accitus. Quae res, et sibi, et suis insperata, multumque molesta accidit. Interim, justis patri amantissimo persolutis, illud sedulo mente agitabat, ne forte, patre e vivis sublato, ab incepto tramite desistere cogeretur. Ipsa enim litterarum cupiditas, quippe quae a teneris annis animo suo insita effervescebat, hunc alio cogitationem, mentemque convertere haud patiebatur. At mater, cujus tutelae Emmanuelem, et Ludovicum filios suos pater commendaverat, quum cognitam haberet juvenis indolem, ingeniique comitatem, omnino operam dedit,

ut ab ipso inceptum litterarum curriculum absolveretur. Haec idcirco, licet nondum adverso turbini finis factus esset, cum Basilio Forlosio, quo antea Campolongi usi erant familiariter, consilium iniit, juvenem in aliquod Lycaeum mittere, ubi morum disciplinam, et ingenuas artes apprime excoleret. Horum ergo consilio, atque auctoritate, Adversam venit Campolongus, ubi sacrum Civitatis illius Ephebeum ingressus est, cum ea vitae ratio adolescentulis instituendis maxime accomodata crederetur.

Temporibus iis, quibus patriam reliquit Emmanuel, viris doctissimis eruditissimisque affluebat Adversanum Lycaeum, qui postea optimis in artibus gloriam summam consequuti sunt. Prae ceteris, qui aetate illa illic florebant, unum, et alterum recensere mihi liceat, Hieronymum Seraum, virum inter paucos ob raram Latinorum eloquentiam praestantissimum, et Paulum Mocciam, cujus Graecae linguae peritiam, in libris ab eo evulgatis, adhuc suspicimus. Quare illius Lycaei juvenes, quorum in animo litterarum cupiditas laetissime pullulabat, tantorum virorum fama magis alliciebat, ut omni litterarum spatio alacriter decurso, ad suorum studiorum calcem laeti, jucundique pervenirent. Hic fervida sociorum aemulatione, ac talium praeceptorum ductu, quantum in Graecis Latinisque litteris excolendis profecerit Campolongus, exprimi haud potest. Primo quidem ad sublimioris Humanitatis stu-

dia est incitatus, quibus adeo est eruditus, ut Adversani Ephebei praeceptores, neminem unquam ipsius aequalem adolescentem latina lingua scribentem, magis sint admirati. Deinde quum ipse cognovisset, latialem sermonem parem non esse, quo penitiorum litterarum abdita omni cum diligentia perscrutaretur, Graecae linguae studio incubuit, eique comitem adjunxit. Sub id tempus, tantus erat Emmanuelis ardor in palaestra eruditionis, ut condiscipulos omnes anteiret, et praeceptoribus ipsis videretur, brevi hunc juvenem hominem doctissimum evasurum. Tali modo annos tresdecim natus, humanitatis, ac rethoricae stadio feliciter emenso, ad rem philosophicam mentem advertit, sed ita, ut in hoc studiorum cursu optimarum artium metam prae oculis semper habuerit. Hanc cum excoleret, ut optima vitae dux, et magistra est philosophia, sic adolescens pluribus, quam antea, virtutibus nitere caepit, multoque inde magis patiens, affabilis, religiosus, mansuetus apparuit: ut an majus aliud efficere possit haec scientia, difficile sit judicari. Nondum in philosophiae studio triennium transegerat, quum Roma nuncius funestissimus illi venit, attulitque, parum abesse, quin Didacus patruus suus, nescio quo morbo graviter conflictatus, vitam dimitteret. His quoque, ut nepos ipse in sepulcreto testatur, in studiis litterisque omne vitae tempus consumserat, in rebus medicis praesertim satis spectatus, et

cognitus, adeo, ut inter medicos ordinarios Caroli VI. Imperatoris, ac Clementis XII. P. M., quorum non unus tunc temporis maxime florebat, summum sibi nomen vindicaverit. Hoc allato nuncio statim Campolongus patruum merentissimum, si viveret, visurus, sin vita decessisset, debita parentalia solutu-rus, Romam migravit, ubi aliquot post dies extremum ejus spiritum ore excepit. Quae patrui mors non fregit eum, nec a suorum studiorum ratione distraxit, quin prorsus effecit, ut tanti juvenis fama extra patriam, ubi satis nondum erat notus, praedicaretur. Nam, illo temporis intervallo, Eminentissimus Cardinalis Passionaeus, a secretis Benedicti XIV. patrui sui domum non infrequens ventitabat, magnoque urebatur desiderio cognoscendi Campolongum tam laudatum juvenem, nobili ingenio non minus, quam judicii maturitate. Quem, Didaco defuncto, in suam fidem ac clientelam recipere caepit, ac studiorum, quibus operam dederat, frequentius poscere rationem. Hanc ubi adolescentulus iterum, saepiusque reddidisset, ex tempore aliquod carmen componere aggressus est, quo Eminentissimum Cardinalem summis laudibus persequi constituit, utpote qui litterariis multis, magnisque meritis apud universos commendabatur. Quo magna circumstantium corona, feliciter elucubrato, omnium expectationem ita superavit Campolongus, ut omnes admirarentur, hunc juvenem, in ipso temporis

articulo, tam laboriosum carmen confecisse, quod communi doctorum suffragio celebrari dignum videbatur, et Passionaeus ipse professus sit, ejusdem versus ad splendidam Virgilii assurgere majestatem. Nec destitit postea, sed floridioris ingenii sui specimina exhibuit, unde mirum est, quantum existimationis ex hisce foetibus apud Romanos sibi accreverit.

Cum tantam sibi gloriam Campolongus Romae peperisset, in hujusce Civitatis primorum familiaritatem facile adscitus est: ex quo factum est, ut eum jam de reditu cogitantem, non una conditione, apud se retinere conati sint. At ipse caritate patriae illectus, cui omnia debere rebatur, tot virorum voluntati noluit parere, sed sua suosque invisurus Neapolim revertitur: quo vix ubi pervenit, de attrito fortunae injuria patrimonio certior factus est. Id ille facile constanterque tulit: ea enim erat animi lenitate, ut irasci non solum non posset, sed etiam aut secunda sorte, aut adversa, temporibus parimodo inserviret. Quare vix septem centusses ab Eminentissimo Cardinali Sersale, qui testamenti curator a patre fuerat relictus, numerata pecunia, in menses accipiebat. Idem quum juvenili aetate jam provectus esset, ac praestantioribus doctrinis indigeret, in animum induxit, se se ad jurisprudentiae studium conferre, quod, quum viveret, pater filium suum facturum augurabatur. Quo in itinere eam habuit vivendi rationem, ut quidquid, vel ab ipsa pueritia,

in institutione vitae, ac studiorum pergratum sibi fuit, minime neglexerit. Ergo, et pietatem colebat, et ingenuis artibus eamdem operam impendebat.

Haec vero in litteris scientiisque addiscendis opera minus fuit diuturna; nam acriores procellae ineum excitatae sunt. Etenim, triennio post Didaci obitum, quam crebri adferrent nuntii, alteri patruo suo nullam salutis spem remansisse, Sypheum proficiscitur, ubi ille domicilium sibi constituerat. Hic, postquam patruum aliquot post dies demortuum omnibus officiis prosequutus est, non tam ut suae, sed matris voluntati obsequeretur, Monicam Casalenovam illustri genere natam uxorem duxit: tum vero nonnullis visum est, fore, ut Campolongus novis conjugii distentus curis, a bonis litteris aliisque studiis discederet. Quod quidem non raro solet evenire: atque magnos etiam homines, uxorum vel illecebrae, vel fastidia, a colendis disciplinis abalienarunt. Attamen ejus industria factum est, ut opinio haec diutius eorumdem animis non insideret. Ille enim, cum se totum rei litterarum publicae despondisset, in ipso etiam conjugio, eumdem, quo antea usus erat, modum studiis obsequendi suis, ad extremam vitam, retinuit. Quamquam nullos ex uxore liberos suscepit: quod fortasse felicitati ejus vertendum est. Nescio enim quo pacto fiat, ut persaepe doctorum virorum liberi a paterna disciplina desciscant, et dedecori probroque sint parentibus.

Hic autem annum secundum et vicesimum natus Campolongus, quamquam strenuam doctrinis operam daret, tamen quieti potius quam famae consulere videbatur, cum a Ludovico fratre, domesticae rei causa, in patriam evocatus est. Ipse hujus dicto audiens fuit, statimque Neapolim redire constituit, una cum conjuge. Postquam vero se paternam domum recepit, cum patrimonium majoribus in diem litibus distraheretur, fratris cohortatione, ad res domesticas recuperandas, in forum descendit; ibique non solum res suas agere caepit, sed etiam alienas. Verum non multo post tempore, sive quod animus non satis proclivis ad fori disciplinam esset, sive quod ingenii mobilitate quadam impelleretur, posthabita jurisprudentia, ad medicinam cogitationem omnem convertit, magistro, ac duce Josepho Dulce, cui aliisque medicis adeo suam probavit operam, ut de ipso commode dici posset, nil intentatum reliquisse, quod cum dignitate, ac laude non perficeret. Cujus scientiae postquam hausit fontes, verens, ne aut morborum causas minime intelligeret, aut medicinam minime idoneam ipse praescriberet, temporis inibi locati statim poenituit: idque caussae fuit, cur ampliorem campum litterarum, quo sua studia hactenus collinearant, excolendum sibi proposuerit. Ut autem tutiori tramite ad ejusmodi metam contenderet, Deum O. M. voto supplice precatur: pacatum animum studia litterarum deposcere, ideoque si vellet se ad id ani-

mum appellere, servato tantum quod necesse erat, ne angustam pateretur paupertatem, tranquillam vitam vivere concederet. Laudandum sane consilium, quo unum Deum bonorum omnium muneratorem invocandum ratus est, cui si cujusquam facultatis viri minime obsequantur, vix est, quod diuturno tempore, assiduoque labore sperent, se aliquam gloriam consequuturos. Quibus votis benigne annuit Deus, ex eoque tempore, quantum emolumenti in rem litterarum publicam ab eo invectum sit, is unus ignorat, qui Campolongi nomen nondum audivit.

Sed jam Campolongum ad majorem famam maturescentem incitabat suorum studiorum ratio, cui ut obsequeretur, novum opus excudit, quod nusquam antea auditum CL. Marchionis Dominici Berii sollicitudine auspiciisque an. MDCCLXIII. typis Simonianis primam lucem adspexit. Id *Polifemeide* inscripsit, ubi horrendi illius monstri terribilisque Polyphemi elusos amores describere conatus est, qui, ut traditum per mythicos, antrorum suorum oblitus, pecudumque, cupidine Calatheae quum aestuaret, hanc suis amplexibus Acyn praetulisse querebatur. Cujus tam insignis, tam laudati operis praeconia minime attexam, quod nemo, nisi ab eo aliquid gratiae detrahere velit, laudare satis potest. Illud tantum dicam, jamdiu communem doctissimorum hominum sententiam illuc inclinasse, aetatem illam nullum tulisse

elegantiorem poetam, qui cum Plautinis ac Petrarcae versibus, quos noster aemulari statuit, tam feliciter contendere potuisset. Ad haec opus istud, praeter stylum perquam venustum atque expolitum, majorem nitorem sibi adsciscere nonnullis visum est, quod quibusdam remotioris latinitatis vocabulis, quibus tanti monstri insania expressior oculis subjiceretur, sparsum sit atque disseminatum: quae sane ex XII. Tab. legibus, saliaribus carminibus, Duiliique columna depromta, Campolongum Latinae linguae incunabula tam bene cognovisse testantur, ut reperire difficile sit, qui propter id cum eo compont mereatur. Qua in re ab eorum opinione eo minus licet discedere, quum certiora documenta nobis sint, quibus idem possimus adprobare. Scimus enim ipsius, in variis non minus Italiae, quam totius Europae locis, repetitas fuisse editiones, quibus tanti operis commendatio per totum orbem latius divulgaretur. Adhaec Academiae Parisiensis socii quanti fecissent, quantoque amore Campolongum fuissent prosequuti, ex hoc facillime judicari potest, quod ejusdem in tela pictam effigiem, quam antea petierant, in magnificentissima Urbis illius Bibliotheca aere regio collocaverint. Quae quidem quicumque perpenderit, facile intelliget, isto opere Campolongum sibi non magis, quam Neapolitano nomini consuluisse.

Quae hactenus de *Polyphemeide* tradidimus, componenda nunc sunt cum iis, quibus factum est, ut

ad publicum munus Campolongus extolleretur ; licet ista, ut nobis leviora sunt, pari modo ceteris trutinanda arbitremur. Etenim dum haec a praelis adhuc caleret, doctissimo sese obtulit Genovesio, cui prout amabat litteras interroganti, undenam tam obsoleta latinorum vocabula expiscari conatus esset, Campolongus reliqui nihil fecit, quominus quam plurimos reconditae antiquitatis scriptores recenseret, quos, iisdem vocibus usos fuisse palam fecit. Unde procul dubio vir ille praecellentis ingenii, consiliique facile existimavit, quanto ceteris antistaret Latinitatis peritia, quantumque laudis esset consequuturus, quam reapse ei merito litteratorum tribuit posteritas. Paullo post Genovesio cura demandata est, aliquem virum eligendi, qui in Regio Athenaeo sublimioris Humanitatis studia traderet juventuti. Hanc nactus occasionem juvandi Campolongum, quumque amoris nullum afferre majus testimonium posset, ipsum deligendum curavit, qui vere eo litteraturae genere, omnium illius aevi maxime praestantissimus videbatur. Sic annorum tres, et triginta publicus professor renunciatus, communi civium plausu Humanitatis Cathedram conscendit.

Hoc autem in munere, quo vitae genere usus sit aut in instituenda juventute, aut in re litteraria augenda, paucis absolvam. Id consilii primum semper habuit, ut juvenes Humaniorum litterarum studio, amotis puerilibus ludis, ad seria quaeque suum

animum viriliter efformarent. In instillando autem de pietate morum nonnulla, quibus ad vitam agendam uterentur, pari diligentia se praebuit, ac fuit in erudiendo. Hinc tantae virtutis propagines in ejusdem discipulis adhuc cognoscimus, quos omnes doctrina non magis, quam pietate praestantes, si numerare vellem, non vitam ejus enarrare, sed historiam scribere viderer. Ac magna erat auditorum frequentia; ad ipsum enim docentem veniebant, et qui propter suos lepores animum delectare, consolarique vellent, et qui in ejus peritia positam spem haberent doctrinae; multi etiam, qui corporis formam cognoscere studebant, qualis esset, cujus animi ingeniique faciem tot laudibus commendatam intuerentur. Hoc autem loco non est praetereundum, quanta constantia, etiam rude donatus, in isto munere perstiterit, ne publico, cui ut inserviret electus fuerat, deesse videretur. Quin etiam si cui studioso juveni bonorum angustia impedimento esset, quominus totum litterarum stadium, illa qua opus erat alacritate, percurreret, huic succurrere jucundissimum sibi arbitrabatur: et hucusque humanitatem ejus progressam esse accepimus, ut pro his vel exiguam sibi haberi gratiam turpe existimaverit. Ideoque inter auditores suos calamitosus nemo extitit, cui ipse, vel libros dando, vel domi gratis docendo, vel denique necessaria vitae tribuendo minime fuerit opitulatus; quod quidem ab iis ipsis,

quibus id experiundi fuit copia, cognitum praedicamus. Quo factum est, ut illius aevi juvenes magis magisque in dies illuc affluentes in audiendo Campolongo contenderent, quem tantum deamabant, quanto dulci amore minime filiorum ingrati communem parentem prosequi possent, ut de Alcibiade Socratis discipulo memoriae proditum est.

His omnibus accessit perillustre aliud ornamentum, antiquitatis nempe cujusque temporis peritia, quam veterum scriptorum lectione sedulo sibi comparavit, ne quid pretermitteret, quod adolescentium animis erudiendis, ingenioque excitando esset profuturum. Indidem fluxit, ut de rarioribus cimmeliis atque numismatibus non raro consultus, eadem obscuris vetustatis ambagibus extricaverit: quae quidem ex veterum monumentorum penu jamdiu depromta eruditorum mentes adhuc torquebant. Nec minoris aestimabatur latinarum inscriptionum cognitione, cui rei perspicuo est documento opus illud, quod Litholexicon intentatum inscripsisse, palam est universis. Hinc nemo mirari debet, si inter XV viros Regiae Herculanensis Accademiae adlectus fuerit Campolongus; quae per Carolum III. Regem an. MDCCLV primum instituta, hominibus in Philologia principibus florescebat, quibus providentissimus rex, ne quid posteritati occultum remaneret, mandavit, ut omnigenas vetustatis relliquias illustrarent, quae in ditissimo Regio Herculanensi Musaeo adhuc asservantur.

Haec omnia carum juventuti, carum litterariae reipublicae dum vixit reddebant: haec eadem nobis omnibus, vehemens tanti viri, atque ardentissimum desiderium reliquerunt.

Praeterea licet ipse, vel ante munus istud, in erudienda privatim juventute plurimam diei partem consumeret, reliquum temporis amoenis iisdem studiis impertitus est; adeo ut aliquod immortalitate dignum opus moliri, et litteris consignare nunquam destiterit. Hinc scribendi ratio postulat, ut alios Campolongi libros prorsa versaque oratione compositos recenseam, ac singulorum argumenta in breve hic cogere incipiam, quibus constet, quanta doctrina, litteraria praesertim, idem abundaverit. Ac de ea quidem insigne, ac nobile nobis suppetit documentum festivissima *Mergelline* an. MDCCLXI Typis Flautinis edita, cujus amoenitatem utinam vel elegantissimi post illum poetae imitentur! Hanc Josepho Landgravio Ausburgensi Episcopo Hassiae Darmstadiae Principi dicavit, ductus familiaritate J. C. Philippi Buscè, qui Neapoli Landgravianae familiae rerum curam susceperat; et ex hoc conjici potest, hanc in exterorum quoque notitiam pervenisse.

Hoc libro Mergellini littoris oram, quae aspectu suo tam amoeno, atque hospitali Æquoreas musas provocare videbatur, poetico cantu celebravit, dum haec mirum in modum nobilitata, poetisque Nea-

politanis jucundissime semper fuerit descripta. Quo opere profecto vix credibile est, quantum existimationis sibi constituerit Campolongus, quum interceptam fere gloriam Thusca scribendi carmina mare redolentia patriae restituisset. In ea enim parte Pausilypi montis, ubi de lato vertice sese pelago ostentat pulcherrima Mergelline piscatorum nassae, lineaeque hamis insertae dissitae jacebant, ipsosque calamos e scopulis pendentes nemo inflandos jamdiu arripuerat, postquam Actius Syncerus Sannazarius, aliique, qui piscatorio cantu praesertim inclaruerunt, e sylvis egressi rusticantes Musas in pelagus deducere, Latinisque Eclogis caerulea Nerei regna exhilarare aggressi sunt. Nec minor eidem debetur laus, quod unus ante alios, ut in Arcadia Sannazarius, et numeris ligata, et soluta oratione Pastoralia cecinit, piscatoriis Eclogis aptas inseruit enarrationes, quae versibus ipsis jucundiores esse visae sunt. Qua de re licet quamplurimi in arenam descendissent, tamen solus Campolongus tecto latere discessit, rudemque prae ceteris meritus est, ista tam hilari Mergellina, qua Synceri Arcadiam adeo diligenter habuit perspectam, ut supra nihil possit. Id quidem nec Bernardinus Rota Neapolitanus Eques, qui primo Hetruscam linguam piscatoria ditavit poesi, in XIV suis praestantissimis Eclogis, nec Scipio Ammiratus, nec Bartolomaeus Tafurius Neritinus, qui in vindiciis epicae poesis Camilli Pellegrini ad hoc

consilium accessisse fatetur, consequuti sunt. Quare ubi excusus Neapoli liber in publicam lucem prolatus est, gestientes doctorum virorum animos tanta laetitia exultasse vulgatum est, ut auream Synceri aetatem rediisse sibi persuaderent. Hinc opus istud primo quoque tempore ita rarum factum est, ut librariorum tabernas quantumvis versares, nullo unquam pretio emendum reperires.

Satis Campolongum hetrusco magis carmine excellentem perspeximus, nunc in omnigenam speciem variatum prosequemur immortali illo opere quod occasione nuptiarum Ferdinandi I. P. F. A. cum Carolina Austriaca contextum, exteris posterisque nomen suum magis commendavit. Id ipse dum moliebatur, omnes, quod pollicitus erat, praestare posse desperabant, quum, praeter hominum consuetudinem, cujusque aetatis praecipuos poetas, quos latino vel hetrusco carmine floruisse compertum est, imitari vellet: at ipse propositum nihilosecius peregit, brevique tempore mira ingenii felicitate opus confecit, quod Excel. Domino Josepho Ventimiglia Bellomontii Principi dicatum, editumque an. MDCCLXVIII. aptissimo Protei nomine condecoravit. Sic a saliari Numae carmine initium fecit, in quo, ut Martis sacerdotes Mamurium Veturium anciliorum fabrum proemii loco cecinisse traditum est, sic Ferdinandum Regem cum Carolina uxore sua concelebravit; deinde ad Capassum nostrum descen-

dit, per omnes inferioris aevi poetas, qui memoria aliqua digni visi sunt; quod quidem nemini unquam in mentem venisse certum est. Ex hac rhapsodia illud in propatulo est, hunc tanta gratia, ac lepore vetustissimos latinorum poetas aemulari, ut illorum scribendi modum non tam adscivisse, quam ipse temporibus iis natus videatur. Inter hetrusca autem carmina, legere est admirandum potius lectori, quam imitandum Dityrambum, quo uno naturali quadam facilitate Francisco Redi adeo proxime accedit, ut in praesentiarum illius tam insigne ejusdem generis poema minus requireremus. In isto tamquam novus promus condus regium celebraturus convivium, opi param coenam, sua ex industria, laute atque eleganter ad satietatem prosequutus est. Totum vero opus apud eruditos quanti fuerit, quo facilius intelligatur, ad λευκην Φηρον Graecanicarum litterarum Antecessoris Jacobi Martorellii lectorem relegamus.

Idem *Cursum Philologicum* seu *politiorum litterarum institutiones* Neapoli Typis Simonianis an. MDCCLXXIX impressas in publicum deduxit; quod opus si utilitate aestimandum, nemo est, qui ei prae illis aliis, quae mox sequentur, abneget principatum. In hoc procul dubio mirum est, quam multa atque exquisita illinere potuerit: neque minus patet, quantum sera probaverit posteritas, quum nocturna, diurnaque omnium manu continue versetur. Nec immerito, Quaecumque enim ad juventutis erudi-

tionem attinere videbantur, quae antea hinc, inde in libris dispersa lectorem quemque, vel avidum summopere defatigabant, in unum veluti corpus tam miro ordine concinnavit, ut publico nihil ulterius desiderandum superfuerit. Omnino scimus isto opere Campolongum primo loco egregie elaboratam rerum Romanarum Epitomen exposuisse, in qua una omnes conquiescere possent, quum plures aliae id genus Συλλογαι institutionis terminos, aut plus justo excederent, aut non attingerent. Qua quidem, juventutis commodis praesertim, consultum iri valde confidit, hac enim duce, veluti facem praeferente, illam et melioris notae Historicos, et Poetas tutius persequi posse cognoscebat. Deinde majus aliud, cujus ope latini sermonis intelligentia magis comparetur, adjungere haud neglexit, continetque libros *De veterum adagiis schedium*, *de Proprietate latini sermonis*, *de schedis nominum e boldario novatorum*, *de Archaico Latinorum sermone*, *de Tabula Corographica*, *de scriptorum Sphynge seu interpretamentis*, *de Poetices luminibus*, quorum praestantiam accuratius investigare, ne molesta lectori nostra abeat oratio, praetermittimus. Illud tamen de hoc notatu dignum videtur, quod etsi centeni de eadem re sejunctim typis editi succreverint libri, adhuc multa in aestimatione, et pretio sit apud litterarum amatores.

Maximae etiam Campolongo habendae gratiae, quod illo opere, cui titulus *Sereno Serenato* salu-

berrimis praeceptis Medicinam consperserit; quibus profecto nihil dulcius potest esse iis, qui aliquam cupiditatem habent notitiae veterum arcanorum. Ipse enim, quum in Medicinae studio non mediocriter esset versatus, Q. Sereni Samonici exemplar, pollenti ingenio suo, interpretationibus commentariisque primum illustrare cepit, quod neque notum satis antea, neque luce, aut aliquo commentario notatum an. MDCCLXXXVI. ex typographeo Raphaelis Langiani bono publico produxit. Quae quidem explanationes nisi perfunctorie considerentur, omnibus persuasum iri judicamus, exiguum hunc de *Samonici praeceptis* commentariolum, quod medicus condiscat, quodque philologus sectetur, exhibere, ut nesciam certe, an posteritas credet, ab uno eodemque ingenio haec omnia tractari potuisse.

Reliquum est, ut alios Campolongi libros in vulgus editos per lancem saturam exponam, quum nihil opus sit eosdem plurimis verbis commemorare, videar contra, si omnino praeteream, obstare ne clarius appareat, quantus fuerit ille vir. Porro quum subcisivas horas, quas publico privatoque muneri suffurabatur, musis, litterisque identidem litaret, *Sepulcretum amicabile* conscripsit, quod an. MDCCLXXXI typis Faustini de Bonis tradendum censuit, sub auspiciis Cl. vivorum Francisci Xaverii de Zelada Excell. S. E. Cardinalis, et Andraee Tontuli Marchionis, cujus nomen in eruditorum pitta-

cio adhuc clarescit. Hic juxta vetus illud Vivus. sibi. de. sepulcro. providit. praeclare secum agi existimavit, si vivorum amicorum cippos aliquo titulo notaret, quo vivi potius, de quantulacumque sepulcrali memoriola, observantiae amorisque sui significationem sibi non ementitam exhiberent. Sic quoque, aliquo temporis intervallo, *Galleidem*, *Vulcaneidem*, furiisque agitatum *Plutonem* in lucem protulit, praeter *Ebrium Polyphemum*, qui prae ceteris istis dignus est, ut legatur. Ipse enim Polyphemeide jamdiu vulgata, ne quidquam de tanto monstro intentatum reliquisse videretur, mira ingenii ubertate, dityrambum, Ebrii Polyphemi nomine, exarandum suscepit. Insigne profecto opus, in quo Polyphemi imaginem tantam sustinentis ebrietatem repraesentavit, quantam mulieres illae, quae Bacchum sequutae sunt, praesetulisse vulgatum est. Idem ut gratum aliquid faceret iis, qui veterum inscriptorum lapidum studiis obsequentur, opus quoddam, cui, ut ostendimus paullo ante, titulum fecit *Litholexicon intentatum* an. MDCCLXXXII. typis edendum concredidit. De eo mentionem injecit Joseph Furlanettus in voce *abscon ditorium* Appendicis ad Ægidii Forcellini Lexicon, licet accurate minus id quibusdam factum videatur, quum, quae in hoc volumine voces continentur, non e ruderibus descriptas, sed ab ipso Campolongo autument fuisse excogitatas: quod, si unquam in hanc veniendum opinionem sit, Campolongi me-

moriae non inglorium videri queat; majoris enim industriae est, inscriptiones vetustarum simillimas effingere, quam easdem e lapidaria veterum supellectile conquisitas explorare, atque colligere. Plura denique studiorum suorum monumenta, ornatiori cultu per otium expolita, scripto reliquit, quorum partim pessimo publico deperdita, partim ab amicis suis servata; quae quidem referremus, si facta nobis inspiciundi copia fuisset. Quae omnia profecto satis declarant, quo sagaci studio veterum volumina conquisiverit; quantisque eruditionis documentis referta sint ejusdem scripta, ut, ad nullum litteraturae genus praetereundum, omnino natus sit credendus.

Verum ab his tamquam e diverticulo redeuntes, jam Christiana virtute clarescentem Campolongum contemplemur, quae quidem una digna est, ut omnibus aliis anteponatur virtutibus. Profecto per totum vitae curriculum, quanto maximo amore, illam, quam a primis annis combiberat, religionem prosequutus sit, exprimi haud potest; quo tutius eam vitae integritatem sartam tectamque servaret, quam inculpatam usque ad extremam aetatem perduxit. Hinc ut dicere ceperamus, nihil habuit antiquius, quam Evangelicis legibus, atque institutis discipulorum animum informare, quibus neglectis, ipsas amoeniores litteras salutares esse non posse intelligebat. Ei rei indicio quoque sunt ejusdem scripta, nobis hucusque satis delibata. Ipse enim, in praefatione ad Q. *Se-*

*reni Samonici* exemplar, se ex isto Ms. opiniones illas professus est abscidisse, quae doctrinae, vel a Deo patre traditae, vel ab universali Ecclesiae Orthodoxae consensu usurpatae, repugnare viderentur. Idipsum de opere illo, cui, ut tradidimus, *ἐπιγραφὴ smanie di Pluto* testatum reliquit modo laudatus Martorellius, in quo quomodo Divina gratia feralis monstri laqueis irretitis opituletur, mirifice expressit. Exinde, quominus singularis illa in Deum pietas languesceret, nullum Dominicum diem occidere patiebatur, quin ipse omni labe detersus eumdem sibi, augustissimo Eucharistiae sacramento, strictiori vinculo devinciret. Quo quidem nihil utilius juventuti cogitari unquam potest, quippe quae in excolenda pietate, piis exercitationibus, exemploque facilius, quam monitis ac praeceptis permovetur. Heic vero e sacra Divi Dominici familia, Dominicus Cotinus, quocum ipse vixit conjunctissime, quum Christiana virtute florere Campolongum videret, hortari cepit, ut ingenium suum ad ornandam Ecclesiam vellet conferre. Huic morem gerere existimavit Campolongus, idque in causa fuit, cur pius magis, quam ut litteratus videretur, omnia christianorum praecepta in unum conduxerit, atque elegans illud sacrarum concionum corpus conflaverit, quod nos conciones Quadragesimales appellare consuevimus. Hoc ubi excusum est, diversis affectibus concussi sunt doctorum virorum animi: nonnulli enim id ab homine

litteris ornato alienum putabant; quod accidere minus potuisset, si sedate perpenderint universi, opus istud non aliunde, quam a singulari religionis cultu processisse.

Nunc mihi mens suggerit, ut de suburbano suo Magdalonensi pauca adscribam, cum praestantium virorum etiam habitacula juvet cognoscere. Inter Casertam, et cis fluvialis Calatiae fines, prope Magdalonis moenia, ubi Tifata continuo jugo quemdam veluti sinum incipiunt efformare, ad rusticandum Campolongus suburbanum aliquod, tale, ut plus salis, quam sumptus haberet, construendum sibi accuravit: quod hodie Elyseorum possidet familia, qui, contracta fiducia, exiguam hanc fundi sui portiunculam, ubi aedificaret, eidem vendiderunt. Locus hic, ob Appiae viae vestigia, litteris commendatus, adjacentium agrorum feracitate, serenoque semper coelo gaudens, tiliorum frequentia antea consitus fuerat, ut etiam nunc vulgo *la Teglia* nuncupatum audimus. Ex hoc tempore ei fuit mos ferme quotannis, quum nempe sibi per ferias licebat, se, in hoc publico munere vacantem, recipere, ut in suburbano tam amoeno, atque jucundo Æstatis, et Autumni partem, tamquam in loco quietiore, transigeret. Quanto autem in amore istud habuerit, quantisque titulis honestaverit, ejus inscriptiones abunde praestant, quarum, incolarum incuria, nec vola, nec vestigium superesse condolemus. Hic nonnumquam

epulare celebravit convivium una cum candidis amicis, et bene acceptis, quos fingi non potest, quam docta, et suavi per totum diem consuetudine detineret. Quin, et quando studiosae juventuti Bacchanalia indicebantur, ipse, qui nihil malebat, quam ut juvenes licitis quibusdam oblectamentis studiorum curriculum metirentur, auditores suos illuc perduxit, ubi postquam ad tempus modicis tignis pulpita erecta fuissent, fabellas, quas ad delectationem, et utilitatem composuerat, iisdem agendas dare consuevit. Ita Campolongus hoc hilari instituto, indoli suae indulgebat ad jocos ac festivitatem pronae, optimaeque juventuti, comitate sua, humaniorum litterarum adyta reddebat aliquanto faciliora.

Sed jam ad eam vitae lineam devenimus, quae mortem attulit Campolongo. Ipse enim cum complures, quam par esset, interioribus exquisitisque litteris addiceret vigilias, initio mensis Martii an. MDCCCI. Typhoea febri correptus est. In hoc morbo illud potissimum memoria dignum arbitramur, quod etsi se brevi decessurum intelligeret, nullo unquam impendentis periculi metu obrutus sit, aut perturbatus. Cum vero in agone, morti jam proximus, versaretur, quomodo valeret, interrogatus, non sine quadam suavitate, quam afferre solet lenis dissolutio, perinde ac si vitam posuisset, trinos istos Sannazarii versus, ex quibus miram memoriae tenacitatem

in ipsa valetudinis imbecillitate omnes admirati sunt, sia apposite recitavit.

Amico io fui tra Baje, e il gran Vesuvio
Nel lieto pian, ove col mar congiungesi
Il bel Sebeto accolto in picciol fluvio.

Deide vi morbi ingravescente, quum in procurandis ritu Christiano sacris novissimum pietatis suae specimen dedisset, completis annis octo, et sexaginta, senioque minus, quam labore confectus, XIII. Cal. Aprilis anni ejusdem, diem clausit supremum: feliciori sane αποδεωσει, quam veteres illi Romanorum Theologi accidere rebantur, quum mors talium virorum vitam intermittere, non eripere videatur. Elatus est, mediocri pompa, ut, qua erat modestia, praeceperat, et frequentissimo civium concursu, certantibusque inter se studiosis, ut extremum istud praeceptori optimo pietatis officium impenderent, cohonestatus usque ad templum Divae Virginis sine labe conceptae (prope sacram recentiorem aedem Capuccinorum) ad quam preces quotidie fundere solitus fuerat. Hic conditus jacet, nullus licet sepulcralis titulus, nullum singulare ac perenne monumentum positum tanti nominis viro, cujus operibus, Neapolitanorum fama, ubicumque sunt in pretio Etruscae Latinaeque litterae, illustrior evasit. Ceterum parentaliorum justa persoluta sunt in aede S. Salvatoris, defunctumque he trusca oratione pro funere laudavit Nicolaus Lambertus discipulus carissimus, cujus

exemplo, alii postea, variis epicediis, eternae memoriae virum prosequuti sunt. Ita omnes doctos, et probos viros laus, etiam fato functos, a tergo grandior insequitur, quum brevi post emarcescat invidia, quae quorundam fata antevertit.

Fuit Campolongus statura procera, calvo capite, lata fronte, vegetis nigrisque oculis, naso adunco, macilentis malis, producta cervice, ad extremum corpore gracili atque exhausto, ut in Ebrio Polyphemo de se his verbis testatur.

Quel fuseragnol Campolongo adusto,
Che mi brama veder mai sempre onusto
D' occhibendante musto.

Hinc a capite frequentius laboravit, propterque stomachi infirmitatem modicum, et exiguum cibi vix admodum sero capiebat; quod omnis aevi studiosis evenisse prisci queruntur, nos gravi damno experimur. Gravis decorusque erat ejus incessus, atque omnino dignitatis plenus. Idem in corporis cura curiosus, et nimius veterum morum sectator, adeo ut nihil de quotidiano cultu mutaverit, nihil de vitae consuetudine. Videtur vero natura Campolongus salsus, et facetus fuisse: vultus ejus quoque jocos, et hilaritatem praeseferebat, praesertim cum usitata juvenum frequentia eumdem honoris causa per viam stipatum adspiceres. Itaque ejus comitas non sine severitate erat, neque gravitas sine facilitate, ut de Attico apud Nepotem perlegimus.

His omnibus, quanta amicorum copia affluxerit Campolongus, neminem latere remur, quos reapse nec paucos habuit, nec vulgares magnis est officiis prosecutus. Omnes enim, quos aut probitate morum, aut doctrinae praestantia coli dignos intuebatur, arctissima amicitiae copula sibi devinxit. Longior vero abiret oratio, si quot suorum opusculorum nuncupatione honestavit, huc vellem referre, duos tamen eligam in quibus intemperatam, ut ita dicam, locasse videtur benevolentiam, Andream Columnam Ostiliani Principem, et Dominicum Berium Marchionem, virum clarissimum subtili quodam politioris litteraturae gustu, eximioque in eruditos homines amore; cui certe tantum dignitatis suae debuit Campolongus, quantum persolvere nunquam potuit. In litteraria amicitia tres, quantum scimus, coluit familiarissime, Alexium Symmachum Mazochium, virum ad prodigium usque scientiis omnibus imbutum, Antonium Genovesium, et Graecanicarum litterarum peritissimum Iacobum Martorellium, qui, praeter alias egregiae existimationis significationes, in doctissima illa Protei revisione, Campolongi sui laudes praedicavit. Nec obliviscendum, quam arcta vixerit consuetudine cum Rogerio Sanctorio, cui laudis plurimum debemus, hoc praesertim nomine, quod solus curaverit, ut tanti viri vita melioribus notitiis exornaretur. Demum per totum vitae spatium amicos sibi parare nunquam intermisit; nec minor fuit

ejus prudentia in illis eligendis, quam diligentia in tuendis.

Haec de Campolongi vita scripsisse satis sit, ex quibus facillime quisque intelligat, quam multa ingenii, et artis subsidia in eo confluxerint, quantoque labore de re litteratorum publica optime meritus fuerit, ut cultissimis quibusdam nationibus nequaquam invideremus. Nos vero beneficiis ejus perfruamur quumque suum nomen eximia pietatis, ac penitioris cujusdam doctrinae laude nobilitatum videamus, virtutes, quibus ipse polluit, imitemur, ut apud Laertium Hecaton, et Apollonius Rodius de Zenone sciscitante ab Oraculo, quid agens optime victurus esset, Deum respondisse tradunt εἰ συγχρωτιζοιτο τοῖς νεκροῖς.

## MONITUM

Freti auctoritate Aldi Manutii aliorumque grammaticorum, adhibuimus verbum *polluit* praeteriti temporis : verum quia parum in usu esse animadvertimus, ne purgatae legentium aures offendantur, substituendum censemus *excelluit*.

081H29
3 D 43

LIBRARY OF CONGRESS
0 022 012 168 9